

XI. Lex, quam ratio in suis operationibus necessario sibi præscribit, hæc est: *Pro omni cognitione conditionata intellectus eousque conditiones inquirendæ sunt, donec omnes, i. e. totalitas conditionum, sive absolutum inventum fuerit.* *

* Rationis essentia in suprema facultate unitiva reponi debet.

** Quia tres sunt in Logica concludendi formæ, *categorica, hypothetica et disiunctiva*; secundum criticos philosophos ratio progrediens tres quoque supremas notiones absolvit *de absoluta Substantia, de absoluta rerum in serie Unitate, de absoluta omnium Causa.*

XII. Conformiter huic principio mens humana, virium suarum evolutione tantisper promota, ideas entis REALISSIMI, BEATISSIMI et SANCTISSIMI efformat, * easque in *Idea Idearum* conjungit, quam ideam DIVINITATIS recte adpellamus.

* Respondent istæ ideæ tribus animi facultatibus *cognoscendæ* nimirum, *sensuum* et *adpetendi*.

XIII. Fuere quidem, et hodie sunt, qui fundamentale dogma de supremi Numinis existentia syllogismis ad modum geometrarum stringentibus evincere adlaborant. Sed fru-